


Daniel Simonius Marcus Bernhardinus

Dissertatio Politica De Republica Eiusque Formis

Rostochi[i]: Kilius, [1647]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730224031>

Druck Freier  Zugang



M. Bernhartinus

R. U. phil. 1647.

41

Q. D. B. V.
DISSERTATIO POLITICA
De
REPUBLICA EIUS-
QUE FORMIS,

QUAM
DEO DUCE ET AUSPICE,
Consensu Amplissimi Philosopho-
rum Collegii
In inchyta Rostochiensium Academia

PRÆSIDE
M. DANIELE SIMONIO,
Noribergensi Neo-Marchico
*Publico Doctorum examini
subjicit*

MARCUS BERNHARDINUS
Meldorp. Dithmarsus
AUTOR & RESPONDENS.

In Auditorio Majori 27. Augusti.
horis antemeridianis.



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILII, Academie Typographi.

[1647]


Q. D. R. V.
DISSERTATIO POLITICA
DE
REPUBLICA EIVS
QVE FORMIS.

Quam
DEO Duce et Auspicio
Consensus Amplissimi Philologico
cum Collegii
In insigne Rossoburgensi Academia

PRÆSES
M. DANIEL
Nonbergen
Publico Doctore

MARCUS BERNHARDT
Candidatus
Magister & Rector
In Auditorio Majori ex Augusti
honore antea

Rostock
1714



Prota est utilitas, & prestantia Politices, ut nunquam satis commendari possit, & iudice Socrate apud Xenoph. generosum omnino favore dignum est ingenium, cui illius studium cordi est: Illa enim est Ecclesie propugnatrix, vice civilis moderatrix, omniumque actionum, quae ad eam rite ducendam, propagandam & conservandam requiruntur, gubernatrix; Quae Respubl. absque illa maximè diuturna esse posset? Illa cives in Pomariis societatis continet, illa praesidet gubernaculo Respubl. & cives in tutum portum perducit. Illa nutrix est scholarum, nec sine illa societas conservatur: illa suo scuto ceteras disciplinas defendit. Prestantissima inquam est, cui meae assertioni & Plato adstipulatur hūc verbis: Virtute Politica nullam assequimur prestantiorem, unde etiam alio loco ab illo omnium disciplinarum constitutrix appellatur. Ab aliis Domina, Antistes, Archifabrilis, Principissa, & imperatrix artium, δεξιτερὸν κῆν κνειωπάτην insignitur. Tot v. gravissima autorum sapientissimorum effata & Politices encomia observantes, materiam ex ea deprompsimus publici exercitii gratiā & maximè intricatam & simul utilissimam ventilatūq; dignissimam, De Formis scil. Reipubl. Multis opinionibus ea dilaceratur, hic enim Monarchiam Aristocratia, ille Aristocratiā Monarchia & alia alteram alteri praefere; Et quid non opinionis in ceteris occurrit? sed probatorum Authorum sententias secuti ad ipsum opus nos accingemus. Quod ut bene

Succedat D. T. O. M. cujus benigno afflatu omnia feliciter tractantur precamur, ut nostris aspires conatibus. Sis itaque

APHORISMUS I.

Respublica (a) est ordo (b) civitatis & quidem magistratuum seu imperiorum quorumcunque, præcipuè vero & maximè potestatis supremæ, à qua (c) per magistratus medios in universos subditos gubernatio seu regimen fluit.

(a) Cum vocum ambiguarum, in quibus varia solent quæri latebræ, distributio in suas significationes commodè essentiali tractationi præmittatur, & nos à vocis Reipubl. homonymiâ exordiemur: eademq; quantum ad præsens imprimis sumitur dupliciter: materialiter & formaliter; Illo modo aequipollet voci civitatis, quæ propriè notat multitudinem & congregationem civium per se spectatam: Hoc verò posteriori formam civitatis notat, quæ in τάξι τῶν τῆν πόλιν οἰκόντων 3. Pol. 1. consistit & notat ordinem seu regimen politicum, quo cætus hominum ordinatur ad honestam societatem: Cæterum & aliàs latissimè vocabulum Reipubl. accipitur, vel pro toto quodam imperio, & regno: ita dicitur, Respubl. Hispanica, Romana: vel pro exiguo quodam terra tractu, ut Respubl. Noribergensis, Hamburg. vel completè pro civitate & forma ejus, Republ., quo sensu Keckermannus definit coetum seu multitudinem ex plurimis familiis domesticis certo ordine collectam & directam ad societatem publicam: Nos v. hic Aristotelem Reip. vocabulum per formam seu ordinem societatis explicantem & alios idem cum eò statuentes sequimur; & ἀναλογῶς loquendo, Rempubl. à civitate putamus differre, uti vita à corpore. Consulatur hæc de re præter alios *Dn. J. A. Mart. lib. 1. polit. c. 7. & lib. 2. c. 1. & Arn. c. 7. l. 1.*

(b) Ordinem inquirunt Politici esse animam Reip. Quemadmodum

modum enim anima corpus humanum conservat & vegetat, ita ordo Rempubl. conservat & vegetat. Quid amabò esset civitas absque ordine? nil nisi confusum aliquod chaos. Quemadmodum corpora nostra multis iisque diversis membris constringuntur, sicut domus variis iisque diversis conclavibus constat, sic civitas variis iisque diversis ordinibus constet si conservari debeat. Quae de re Cicero 2. de Rep. Cui Aristoteles lib. 3. Pol. c. 4. & lib. 4. c. 1. assentitur ubi per τὰξιν definit. Quam vocem & per ordinationem explicari posse concedit Arniseus lib. 1. c. 7. Verùm cum ordinatione motum & productionem quandam adsignificet, Resp. autem aliquid statum & subsistens sit, per ordinem commodius exponi putamus, uti & docet Dn. Jacob. Mart. 2. polit. c. 1.

(c) Videmus hic esse tantum partem Reip. putandam illam civitatem quae absolute sui juris non est, sed superiorem agnoscit, ut civitates imperiales & municipia, etiamsi sint ampla & opulenta, partes sunt Reipub. Romano - Germanicæ.

APHORISMUS II.

Ordo sive classis Populi est vel merè Naturalis vel Civilis.

Naturalis est ordo, cum alii sunt seniores, alii juniores, alii mares vel foeminae, & secundum hunc ordinem parentes liberis anteferuntur, Senes honesti junioribus ejusdem status & stemmatis præponuntur.

Civilis est cum alii sunt Magistratus, Nobiles, Liberi, Officarii & cives; alii subditi, ignobiles, servi, idiotæ, & hospites, sive peregrini. Populus verò ipse vel collectivè vel representativè consideratur, collectivè quatenus est multitudo hominum magistratui obedientium. Representativè, quatenus Ephori Populum representant.

APHORISMUS III.

Rerumpublicarum distinctio non à divitiis (a) nec à paupertate (b) sed à numero imperantium est petenda.

A 3.

(a) Qu

(4) Qui à divitiis distinctionem Rerump. sumunt, similes sunt illis qui quando forsan virum arduis superciliis, vocisq; & vultus gravitate composita, & purpurâ insigni coruscantem aspiciunt, admirantur, putant nempe illum esse consulem, & nobilitatem ex habitu cultuq; metiuntur, si vident plures graves viros mediocri veste indutos, splendidiores præponunt. Sic quidam Politici minus rectè Politici secundùm divitias Resp. distinguunt.

(6) Uti absolum est juxta divitias discriminare Reip. species, ita pariter inconveniens est idem agere intuitu paupertatis: Ab ipsa enim essentia Reip. species sunt definiendæ, non à conditionibus accidentalibus, nam si hoc modo distinctiones Rerump. essent petendæ, etiam mores hominum, & nobilitas & ignobilitas, prudentia, & imprudentia, & alia accidentia alias constituerent, & innumeræ forent species, neque unius, paucorum, & universorum imperia specie differrent: Subscribimus igitur Platonis sententiæ, qui à numero imperantium sumit distinctionem & dicit Publicam administrationem vel esse unius, vel paucorum, vel multorum. Si unius, est regnum & Tyrannis, si paucorum, est optimorum vel depravatorum, si multitudinis, est vel cum legibus, vel sine legibus, diciturq; popularis. Rationes alias habent *Arist. c. 7. de Republ. & Jacobus Martini l. 2. Pol. c. 2.*

APHORISMUS IV.

Tres sunt Reipubl. formæ legitimæ,
Monarchia, Aristocratia, Democratia.

Diximus in præcedente Aphorismo intuitu numeri imperantium formas Reipubl. esse determinandas: novimus majestatem aliter influere ab uno, aliter à pluribus aliter ab omnibus, & cum Majestas Reip. essentiam ingrediatur, rectè trichotomia, quæ à numero eorum penes quos potest esse majestas, derivatur, adstruitur: consentit *Cicero 2. de divinor.* nam cum dicit se à Platone Philosophisq; didicisse, Resp. tum à Principibus teneri, tum à populis aliquando à singulis, veras & primas Reip. species proponit. Ita Herodotus antiquitatis parens tribus formis est contentus. Tactus quoq; dicit, quod cunctas nationes, & urbes, aut populus aut
Primo -

Primores aut singuli regant. Trichotomia hæc non paucis probatur, & nobis etiam adblanditur, licet & Dichotomia in Monocratiam, & Polieratiam commodè locum inveniat, eademq; magis naturalis esse videatur, cum natura agat secundum breviora, tamen non sit nimium hujus studium, sed quid natura referat etiam attendatur: Ita natura Reip. commodissimè in tres species dividi posse videtur. Sed analogas: dicitur enim Resp. primò de Monarchia, secundariò de Aristocratia & democratiâ. Tres aliæ aliorum Politicorum hæc de re recensentur sententiæ, collectæ à Domino Christ. Matth. lib. 2. System. pol. exerc. 2. sect. 7. Prima est Polybii, Bodini & aliorum qui sex Reip. species constituunt, & tribus nostris legitimis speciebus tres addunt vitiosas isdem oppositas. Secunda est Patricii Remp. discescentis in statum popularem, optimatum & paucorum. Tertia cum nostra coincidit, nisi quod statum compositum sive mixtum addit, quem non statuendum esse demonstramus aphorismo ultimo. Prima v. Reipubl. formas vitiosas cum legitimis confundit, secunda caret fundamento.

APHORISMUS V.

Monarchia est Resp. in unius gubernatione legitima summam rerum constitutanti habens.

Initium de Monarchia facimus, ut nobilissima, ponderosissima de causis, quia 1. est antiquissima. Principio rerum gentium nationumq; imperium penes Reges erat. Justin lib. 1. Monarchicus status est omnium antiquissimus. August. lib. 4 de C. D. c. 6. Prima origine dicitur Arist. 1. Polit. c. 10. & c. 17. Salust. in Catilin. Cicero 3. de LL. antiquissima est & juri gentium accommodatissima, unde Herodotus lib. 2. testatur Aegyptios non potuisse sine Rege vivere. Ita Aegyptii, Græci, Lacedæmonienfes, Indi, Americani, Charamantes, Romani, Galli, Hungari, Hispani, Dani, Angli, Poloni, Bohemi, Sveci, Schoti &c. Quod Historici expressè testantur, suos habuerunt Monarchas & plura Exempla consulti Historici proferunt. 2. Est Naturali inclinationi aptissima quod videre est, in apibus. Pli-nius

nus l. ii. Nat. hist. c. 17. Item in gruibus inter quos unus est, qui ceteros regit, eisq; præit. Arist. 1. Historia animalium & videmus idem inter aves alias, & inter animalia quadrupedia, Primum aliquem esse ducem. Natura inquit Seneca 1. De Element. c. 19. commenta est Regem, quod ex alijs animalibus & apibus præsertim licet cognoscere. Breviter: in omni rerum conditarum genere unum quiddam eminere cernimus, quod ceteris ejusdem generis dignius, Sav. epit. Eth. concl. 19. Gerhard. tom. 6. de Mag. Pol. 3. Est omnium firmissima & tutissima. Invidiæ hæc minus subiacet, & arcana consilia, quæ secreta haberi maximum Reip. emolumentum est, commodius celat; Conferamus etiam inter se politias mundi, videbimus nullam fuisse firmiorem & durabilioram Monarchia, neq; enim ad huc ulla Respub. tam diu duravit, quam Assyriorum, & Scytarum. Egregie g. Darius pro Monarchia his verbis disserit: In paucorum statu cum plures virtuti incumbant, in Publicum vehementiora privatim odia excitati consueverunt. Cum enim quisq; Princeps esse optat, & dicenda sententia vincere, ad ingentia inter se odia tendunt, seditiones existunt, è seditionibus cædes, à cædibus ad unius imperium devenitur. Est porro 4. subditis accommodatissima, æquissima, felicissima, uti pluribus id declarat Gerh. l. c. Et proinde optima, frustra etiam refragante Bodino, qui Exemplū primæ Monarchiæ Nimrodi opponit quem Tyrannū fuisse existimat, Sed fuerit Tyrannus! A Tyrannide verò Nimrodi concludere omnem Monarchiam esse vitiosam, absouū est, & minus rectè è particulari universale colligitur. Commodè etiā subnectimus hic distinctionē inter id quod absolute, & ex ipsa rerū natura præstantius est, & inter id quod propter certas quasdam temporum, locorū, & personarū conditiones magis optabile est. Illud Arist. 3. Top. τὸ βέλτερον vocat, hoc τὸ ἀριστερον, e. g. Aurum est præstantius ferro, interim tamen in usu armorum ferrum est eligendum. Si nunc Monarchiam absolute consideremus, est perfectissimus status, si conditiones, & circumstantias variarum nationum & Populorum ingenia spectemus minimè; alii populi melius Monarchicè, alii

alii Aristocraticè, alii Democraticè reguntur. Atq; ita absolute optima est Monarchia, Respective verò interdum alterutra reliquarum specierum. Porro excluditur hic omnis Duum-viratus, Trium-viratus (sunt potius species Respub. Aristocraticæ) cum neuter ibi tenetur alterius imperio, neuterq; sine alterius consensu imperare potest. Et inde neuter est Monarcha. Si autem Regnum aliquod successione dividatur, ut imperium orientale, & occidentale, quæ jura majestatis communia non habent, fiunt duæ Respub. Monarchicæ. Aliàs duo Monarchæ in uno Regno non possunt consistere; Quod Lydii Cræso objecerunt cum fratrem assumisset in consortium imperii. Ut solem unum in celo esse non plures expedit: Ita & unum imperii corpus unius animo regendum videtur, & verum hic est, quod Lucianus canit, l. 1,

Nulla fides regni sociis, omnîq; potestas

Impatiens consortii erit.

APHORISMUS VI.

Monarchia in Regnum (a) & Dominatum tribuitur.

(a) Hic facimus cum *Jacob. Mart. cap. 7. l. 2. Polit. Arnif. c. 9. l. 1. Alstedio c. 4. polit. Witzendorffio &c.* non autem alium, atq; alium Monarchiæ statum facimus, sed sunt tantum quasi species quæ ex diversa gubernatione fluunt. In illo commune bonum quaritur, quippe in eo consistit Regis natura ut non privata commoda sed publica præferat, quod ex definitione Monarchiæ patet. Dominatus est cum privatum commodum Principis intenditur. Sicut enim Dominus servos non intendit pessundare, cum sciat servorum perniciem tracturam secum totius domus ruinam: Nec tamen eos primaria intentione curat, sed quia aliter salvus esse nequit, Ita Dominus nec evertit subditos quod est Tyrannorum, nec eorum salutem primam habet quod est Regum, sed dum familiam suam intuetur, eamq; subsistere aliter non posse animadvertit, consequenter deflectit curam suam secundario ad subditos, à quibus propterea redamatur; talem barbarorum naturam ait *Arist. 3 pol. c. 10. Arnif. c. 9. polit.* Ita Turcicus Imperator quando terram seu regionem aliquam bello sibi acquirit, fit Dominus, *Bod. 2. de Rep. c. 2.* Talis Dominatus erat olim Regnum Persarum.

B

APHO-

APHORISMUS VII.

Mulieri haud facilè sceptrum imperii est
committendum.

Multæ quidem fæminæ fuerunt quæ feliciter gubernarunt ut Regina Angliæ, Scotiæ, Hispaniæ, itemq; de Germani carum mulierum fortitudine Tacitus de *Mor. Ger. c. 7.* egregia profert encomia. Et in quibusdam regnis jure successione ad sceptrum evehuntur, ut in Anglia, in quibusdam autem cautum est legibus, ne mulieres succedant, ut in Gallia, Et certè videntur ab imperii tutela arceri ipsius DEI apud Prophetam *Es. 3 v. 12.* iudicio, honestatis intuitu, virium & virtutis defectu, *Schönborn. Lib. 2. Pol. c. 12.* & multa Gynæocratiam comitantur incommoda, quorum unum atq; alterum recenset Bodinus *lib. 6. de Repub. c. 5.* Primum, inquit, hoc erit incommodum, si ve marito nupserit, si ve cælebs manserit; si nupserit, ea lege nubet, ut maritum habeat sub sua potestate, & sic imperat contra naturam (cujus rei horribile exemplum recenset *Buch. l. 18. hist. Scot.*) si autem nuptias Regina recusarit, Resp. in summo periculo versatur quia forti animo subditi non diu tolerant illam.

APHORISMUS VIII.

Aristocratia est Resp. ubi potestas penes
pauciores virtute in primis insignes residet.

Hic præsent Optimates qui omnia ad commune bonum dirigunt. Paucitas itaq; civium hic attenditur imperium tenentium, & præsertim virtute excellentium à quibus probabile est saluberrima proficisci consilia, ut Megabyzus apud Herodotum *lib. 3.* disserit. Aut si illorum defectus est, ditiorum. Talis Aristocratia fuit olim Dithmarforum, ubi 48. viri semper regnarunt. Et omnino tempore quam plurimi Populi se ad hanc accommodarunt: Veluti Romani exactis Regibus, item Spartani, Veneti, Norici, & alij. Hac à Monarchia secundum locum obtinet. Nihil autem refert, si unus ex his præmineat, ut Dux Venetorum, potestas tamen apud omnes æqualiter residet.

APHO

APHORISMUS IX.

Democratia est Respublica, quæ summum jus Reipub. vel penes omnes vel penes maximam partem populi constitutā habet.

Hic tam Nobiles quam ignobiles imperium terent æquali jure, & aliqui à plebe ad colligenda vota constituuntur veluti Romanæ Dictatores, cum tanta mole aliàs plebs non convenire possit. Et hoc non minuit statum, potest enim ille commodè Aristocraticis rationibus temperari, & manere Democraticus. Præterea hunc statum ad mutationem & seditionem vehementer inclinare demonstrat trina plebis Romanæ secessio, una in montem sacrum, altera in Aventinum, Tertia in Janiculum; Unde prius redire noluit, quam lege Hortensia latum esset, ut plebiscita legis vigorem haberent. Incenduntur Plebejorum animi regnandi cupiditate, quæ nihil tetrius, nihil ferius excogitari potest. Cicero 3. off.

APHORISMUS X.

Formæ Respublicæ vitiosæ sunt Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia.

Tyrannis fit quando Princeps nimiam licentiam sumit, quando divinas & humanas leges pervertit, quando subditorum bonis ad suam licentiam abutitur. *Bod. lib. 2. c. 2. de Repub.* Tales Tyranni fuerunt Dux Magnus Muscoviæ Basilides, Nero, Tiberius, Caligula, & alii, ex quorum nominibus etiam deterrimus hic defectus cognosci potest. Oligarchia fit in Aristocratia, quando divitiarum potissima ratio habetur, & sic non viri Probi sed qui attentiores ad rem sunt, quam sat est, imperant. Ochlocratia fit, quando ad turbulentam Plebem imperium trahitur, quando nimirum non Publicæ sed privatæ salutis ratio habetur ubi jus & justitia pessundantur. Talis Romanæ Reipub. status fuit, A Græchiana seditione usq; ad Syllam & Marium.

APHORISMUS XI.

Mixta Respublica non datur.

Populus suam potestatem, vel uni vel pluribus confert, uti superius dictum est, & hi sunt, vel optimates vel ipse Populus: hinc

tres

tres nostræ formæ Reipub. legitimæ, & quia majestas ipsa incommunicabilis est, nulla Reipub. mixtura est concedenda, respectu status: Temperamentum aliquod in Gubernatione vel administratione mixta facile conceditur, Monarchia enim potest Aristocraticè vel Democraticè, Aristocratia vel Monarchicè vel Democraticè, Democratia Monarchicè vel Aristocrat. regi, adeò ut sapissimè triplex administrandi ratio commisceatur statu illibato. Sicuti enim tres humores in corpore hominis possunt cholericè vel Phlegmaticè regi, & à prævalenti qualitate denominari: Ita & quando diversimodè administratur Respublica, à potiori sit denominatio. Tantam verò esse posse mixtionem administrationum ut incertum relinquatur, ultra prædominetur, vix nobis sit verisimile. Obiter addimus in Titulo minimè consistere Majestatem: Eam ob causam Bodinus lib. 2. c. 2. Tholosanus 6. de Rep. c. 1. Junius in Quest. Polit. q. 2. Lipsius lib. 2. civil. doct. c. 2. Hanon. Disput. Polit. c. 9. Mixtionem rejecerunt: quam ex veteribus Polybius, Dionysius, Halicarnassæus, ex recentioribus Keckermannus & alii acerrimè propugnarunt.



Corollaria.

1. *An Princeps sit subjectus Legibus? Dist.*
2. *An Imperium Romano-Germanicum sit Monarchicum? Affir.*
2. *Utrum in statu innocentia fuisset aliquis Reip. modus? Affir.*
5. *An urbes vallis vel manibuscingenda? Affir.*

Politissimo Dn. RESPONDENTI feliciter!

EGregium moliris opus, vel iudice Momo,
Prælia dum pro Re-publicâ, Amice, subis:
Publica & hæc res est; cedat feliciter, opto,
Et nascatur honos publicus inde tibi.

M. D. S. Præses,





Primores aut singuli regant. Trichotē
 batur, & nobis etiam adblanditur, licet
 monocratiam, & Policratiam commode
 demq; magis naturalis esse videatur, cum
 breviora, tamen non sit nimium hujus studi
 ferat etiam attendatur: Ita natura Reip. cor
 cies dividi posse videtur. Sed analogas: di
 de Monarchia, secundiò de Aristocrati
 alia aliorum Politicorum hæc de re recen
 lectæ à Domino Christ. Matth. lib. 2. Syst
 Prima est Polybii, Bodini & aliorum qu
 stituunt, & tribus nostris legitimis specie
 iisdem oppositas. Secunda est Patricii Re
 tum popularem, optimatum & paucorum
 coincidit, nisi quod statum compositum si
 non statuendum esse demonstramus apho
 v. Reipubl. formas vitiosas cum legitimis co
 fundamento.

APHORISMUS V

Monarchia est Resp. in
 tione legitima summam reru
 habens.

Initium de Monarchia facimus, ur
 sis de causis, quia 1. est antiquissima. Princ
 tionumq; imperium penes Reges erat. Just
 status est omniū antiquissimus. August. lib. 4
 ne dicitur Arist. 1. Polit. c. 10. & c. 13. Salust
 LL. antiquissima est & juri gentium acc
 Herodorus lib. 2. testatur Egyptios non po
 Ita Egyptii, Græci, Lacedæmonienfes, Indi,
 tes, Romani, Galli, Hungari, Hispani, Da
 mi, Sveci, Schoti &c. Quod Historici expref
 runt Monarchas & plura Exempla consul
 Est Naturali inclinationi aptissima quod vi

icis pro
 nia in
 at, ea
 undan
 tura rei
 res spe
 primo
 Tres
 æ, col
 . sect. 7.
 ies con
 vitiosas
 is in fra
 nostra
 , quem
 Prima
 da caret

erna
 utam

ondero
 ium na
 archicus
 na origi
 cero 3. de
 a, unde
 e vivere.
 araman
 ni, Bohe
 s habue
 ferunt. 2.
 bus. Pli
 nius

